

THADAEUS ZIELIŃSKI

FLEBILIS INO

Seorsum impressum
ex comment. philolog.
EOS XXXII 1929

Bibliothèque Maison de l'Orient



151530

EDITVM AVXILIO MINISTERII INSTRVCTIONIS PVBLICAE
LEOPOLI 1929

PROSTAT LEOPOLI APVD SOCIETATEM PHILOGAM POLONORVM
PARISIIS APVD EDITORES LES BELLES LETTRES, 95 BOVL. RASPAIL

FLEBILIS INO

scripsit

THADDAEUS ZIELIŃSKI

I

Contortissimae Inus fabulae nulla alia ope lucem infuderis, nisi tribus eius personis discretis, quarum unam dixerim Bacchi nutricem, alteram Phixi novercam, tertiam illam, quam Horatio praeunte Ino flebilem dico. Quam discretionem Logi assiduus cultor ita instituere volo, ut quae traditionis elementa et ratione et analogia suadente sese vicissim attrahant, ea interim unius esse famae praesumam. Et primum quidem de Ino Bacchi nutrice videamus.

Vulgatam eius famam invenimus apud Apollodorum, a quo proficisci libet; refert ille Iovem, postquam Bacchum iterum in lucem ediderit, Mercurio infantem dedisse, eum autem ad Ino Athamantemque pertulisse monitos, ut puellae habitu Iovis filiolum educarent; offensam autem Iunonem furorem eis iniectisse, quo factum esse, ut Athamas maiorem suum filium Learchum in venatione pro cervo occideret, Ino autem Melicerten minorem in ahenum calefactum proiceret, tum extractum mortuumque secum una in mare praecipitaret. Et Leucotheam ipsam dici, puerum autem Palaemonem, ita a navigantibus nominatos, cum tempestate laborantibus auxiliarentur. Et in Melicertae quidem honorem certamina Isthmiaca celebrari Sisypho conditore (III 28 sq.).

Horum ultima ante omnia desecare placet ut haud dubia genealogorum sive mavis antiquariorum commenta; fas enim fuit Sisyphum praecipue Melicerten utpote fratris sui Athamantis filium agone instituendo honorare — nam quae praeterea a viris doctis prolata sunt de Phoeniciis Corinthiorum originibus deque Melicertae cum Melcarto identitate, ea extra causam relinquare placet. Quodsi ita se res habet, huius eiusdem Sisyphaeae pietatis causa etiam locus, ubi se Ino in mare proiecisse credebatur, fictus esse videtur, quem Apollodorus non prodit, alii tamen fontes non procul a Corintho fuisse testantur¹⁾.

¹⁾ Locos conguessit Eitrem apud P.-W. XII col. 2294 sub 4. Ipsius fugae absurditas Thebis vel adeo Orchomeno usque ad litus Corinthium ex

Quibus remotis conduplicatio etiam manifesta notanda esse videtur: ineptum enim est furentem Ino filiolum suum primo in ferventem lebetem, tum lebete extractum mortuum in mare proiecisse. Alterutrum fabulae suffecisse quivis concedet: invicem sese excludunt 'lebetis' et 'saltus marini' motiva, quae nobis distinctim tractanda erunt.

Est quoque in Inone insaniae effectrice circumspectio quaedam adhibenda. Non quo novercalia eius odia omnino a fabula Bacchica procul habenda esse censeam: immo penitus ea huic fabulae inhaesisse video. Verum ineptum est in hoc furore, qui Bacchi est peculiaris, quemquam auctorem praeter Bacchum ipsum desiderare; quod etiam magis ex eiusdem Apollodori § 33 apparebit, ubi vel ipsi Baccho furoris effectrix Ino fuisse perhibetur. Sed hic ipse furor qualis fuerit reputantibus non idem videbitur conduplicatiois ratione habita. Recte furere dixeris matrem, quae filiolum in aquam ferventem proiecerit; non recte eam, quae marito furibundo persequente ceteris fugae viis praecclusis una cum filiolo in mare sese praecipitaverit. Et nunc videamus de singulis.

Ino igitur Bacchi nutrix Athamantem fugiens altero filio Learcho ab insaniente patre, qui cervum¹⁾ se videre crederet, occiso cum altero Melicerte in mare se praecipitat ibique confestim inter deos marinos recipitur. Habes historiam Bacchicam eius plane geminam, quam Homerus de Lycurgo Thrace narrat (Z 132 sqq.):

mythi translatione orta esse videtur: in Thessalia certe sub Othrye dum res agebantur in ipsius maris vicinitate, omnia sibi constabant. Et ita Euripides in *Inone* rem instituit, ut infra (cap. VII) videbimus. Ceterum hoc statim ab initio monitum volo, solam me in hac commentatione *Tragodumenis* quandoque inserenda mythopoeiam tragicam respicere, mythorum originem minime curare; hanc igitur sive a sacrificiorum humanorum apud Athamantes consuetudine, sive a paludosa Boeotiae natura repetere placet, aliunde quaerant curiosi.

¹⁾ Cervum (ἔλαφον) habemus apud Apollod. III 28 itemque apud Nonnum (βεβρόν *Dionys.* I 176); contra leaenae catulum apud Ovidium *Met.* IV 514. Quae differentia non omni momento caret. Illic enim iustam habemus in montibus venationem Lycurgeae similem, nec nisi praedae specie decipiuntur venantis oculi, divisa insuper ab Athamante Inus insaniam (motivum lebetis); hic Athamas in aula fictae venationi operam dat et uxorem simul cum filiis ut gemina cum prole leaenam persequitur (motivum saltus marini)

ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνόσοιο τιθήνας
 σεῦε κατ' ἡγάθειον Νουσήιον· αἱ δ' ἅμα πᾶσαι
 θύσθλια χαμαὶ κατέχευαν, ὅπ' ἀνδροφόνιοιο Δουκούργου
 θεινόμεναι βρουπλήγγι· Διόνυσος δὲ φοβηθεὶς
 δόσεθ' ἄλῃς κατὰ κῶμα, θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ.

Qua similitudine illud ante omnia evincitur apotheosin marinam Inus cum Bacchica eius natura arctissime cohaerere et ad Bacchi marini religionem pertinere, ut praedonum Tyrrenorum mythum aliaque. Ino ipsa quoque Bacchi nutricibus adnumeranda est, immo earum est prima; quae cum Maenades fuerint, facile oraculum Delphicum intellegimus in inscriptione Magnesiaca non ita pridem repertum (Nr. 215, 26 ed. Kern):

μαινάδας, αἱ γενεῆς Εἰνῶς ἄπο Καδμηείης.

Bacchica inde Leucotheae mysteria per totam Graeciam celebrata, a quibus ancillae arcebantur praeter unam, quae tamen hoc sacrilegium flagellationis poena ab initiatarum una imposita] pendere debebat¹⁾; quae cum etiam in Italia locum habuisse constet, facile crediderim celebri domus mysticae Pompeianae megalographia repraesentata esse, in qua ancilla apparet flagello a muliere scissa²⁾.

Quae analogia si rectam nobis monstravit viam, Athamantem Lycurgo respondere necesse est: ut ille Thracum, ita hic Athamantum fuit in Othrye monte rex, Bacchi sacris, ut ex ipso mytho colligere debemus, infestissimus; ut ille furore a Baccho iniecto Dryantem filium falsa deceptus specie in venatione occidit, ita hic eodem mentis errore in venatione et ipse filium Learchum. Iam cum Othrys mons Thessalicus Thermopylis superimminens necessaria fuerit statio e Thracia Parnassum versus pro-

¹⁾ Plut. *Aet. Rom.* 16: διὰ τί δούλαις τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν ἄβατόν ἐστι, μίαν δὲ μόνην αἱ γυναῖκες εἰσάγουσαι παῖουσιν ἐπὶ κόρρης καὶ ραπίζουσιν; Cf. etiam eiusdem Plut. *Cam.* 5 et Ovid. *Fast.* VI. 551 sqq., unde etiam in Italia Matris Matutae sacris ancillas eodem modo prohiberi discimus. Commune hoc multis caerimoniis dicit Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 110 sq.; hic tamen in ipsa observatione similitudo maior esse videtur, solemnī praesertim apud antiquos Matris Matutae cum Leucothea identificatione.

²⁾ Negat hoc sane qui ultimus de hac re scripsit Rostovcev meus *Mystic Italy* (1927) p. 54, vix tamen recte. Flagellationem ipse primo obtutu agnoveram nondum notis aliorum commentis, fidemque confirmant Leucotheae sacra etiam in Italiam propagata.

ficiscentibus, geographica quoque lacuna in peregrinatione Bacchica commode expletur; a Parnasso rursus promptum iter in Boeotiam, Orchomenum dico et Thebas, quo invicte propagata Liberi sacra Athamantis quoque et Inus fabulam secum traxerunt. Quid quod revera Lycurgus factus est Athamas noster? Furoris enim parricidiique poena sibi imposita — ita Apollodorus I 84 — exul deum rogavit, in qua tandem terra quietem inventurus esset, responsumque accepit, ubi ferarum conviva extitisset. Post multos errores lupis incidit agnorum membra divellentibus, qui ipso conspecto fugae se dederunt. Addendum esse opinor infelicem fame intolerabili confectum quae illi reliquerant cruenta animalium membra in suum convertisse usum et ita luporum esse factum convivam — manifestum lycanthropiae signum. Respicere videtur hanc famam etiam Euripides in *Inus* tragoedia fgm. 42 N.:

κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλωγνος, ὥστε θήρ, μόνος,

de quo fragmento nobis suo loco (cap. VII) agendum erit.

II

Habes cohaerentem absolutamque famam Bacchicam *Lycurgeae Pentheidis*que simillimam — Ino fidelem divini alumni nutricem ab ipso contra viri furentis iniuriam protectam summoque immortalitatis praemio donatam, Ino - Leucotheam, ut omnia uno verbo absolvam. Vidimus tamen supra in conduplicatione Apollodorea etiam alius famae eiusque Inoni infestae vestigia: de Inone parricida, quae filium in lebetem ferventem proiectum necaverit. Iam quaeritur, quid hac fama faciendum censeamus.

In nostris quidem fontibus non apparet haec fama nisi cum priore per conduplicationem contaminata, qua re difficultates oriuntur et ineptiae non pervincendae. Et de Apollodoro iam dictum est; aliam nec tamen meliorem viam ingressus est Nonnus, apud quem Athamas maiore filio in venatione occiso minore in lebetem conicit (X 68); eum tamen mater superveniens servat. Inepte venatio cum lebete cumulatur, ineptius Ino puerum post septem versuum spatium vivum e fervente aqua extrahit, quem vel extemplo nisi mortuum auferre non poterat.

Quo magis convincimur peculiarem hanc olim de Inone infanticida fuisse famam; eamque nunc certo auctori assignare

possumus Aeschylō. Eius enim *Athamantis* reliquiae ad nos pervenerunt sane paucae, inter eas tamen fragmentum pretiosissimum 1 N.:

τὴν μὲν τρίπους ἐδέξατο οἰκείος λέβητος..

Sed Aeschylī quoties tractamus mythopoeiam semper tenendum est trilogias eum scripsisse argumenti unitate coniunctas; hanc fuisse regulam, divulsas autem fabulas — quales *Persis* vel *Aetnaeis* additas — exceptiones in affirmantem demonstrandi onus transferentes. Hoc si reputaverimus, facile nobis persuadebimus *Athamantem* unam trilogiam effecisse cum *Semele* et *Iaculatricibus*: cum enim prioris tragoediae heroīs in ipso titulo nominata sit, posterioris autem argumentum in Actaeonis morte versatum esse fgm. 244 evincat, prona est suspicio trium Cadmeidum infortunia tribus deinceps tragoeidiis tractata esse — nam quartae, Agauen dico, toti trilogiae materiam praebuit *Pentheidi*, quae tragoeidiis constabat, ut *Tragodumenon* meorum p. 66 docui, *Pentheo Xantriis*que et *Bacchabus*. Iam cum trium sororum fata patris persona coniungantur, aptissime hanc trilogiam *Cadmeidem* appellabimus. Habebimus igitur tres Bacchicas Aeschylī trilogias, *Lycurgeam* puta *Pentheidem*que et *Cadmeidem*; nobis tamen hoc loco de sola agendum est tertia.

Proiecit igitur filium infantem mater in ahenum aqua fervente repletum; quid ita? Removendae sunt ante omnia suspensiones conciliatoriae: cogitaverit enim quispiam de Pelia senio effatum in pristinam iuventutem restituendo, de Bacchi nutricibus eodem modo cum viris ab eadem Medea recoctis, quin etiam de Demo Aristophaneo. Quae omnia in Inus filiolum utpote puellum cadere non possunt. Sed fortasse immortalem eum reddere volebat? Non satis est credibile aquam ferventem eadem virtute praeditam fuisse qua ignem. Sed omnem dubitationem tollit Euripidis locus ex *Medea*, quo famam anteuripideam respici videbimus (1282 sqq.):

μίαν δὲ κλύω, μίαν τῶν πάρος
 γυναικ' ἐν φίλοις χεῖρα βαλεῖν τέκνοισι,
 Ἰνώ μανείσαν ἐκ θεῶν, ὅθ' ἢ Διὸς
 δάμαρ νιν ἐξέπεμπε (-ψε) δωμάτων ἄλλῃ
 πίτνει δ' ἢ τάλαιν' ἐς ἄλμαν φόνω
 τέκνων δυσσεβεί,
 ἀκτῆς ὑπερτείνασα ποντίας πόδα,
 θυσίην τε παίδων συνθανοῦσ' ἀπόλυται.

Non dico omnes huius loci difficultates hac relatione sublatas esse: singulare enim est non unius, sed duorum liberorum necem matri assignari. Sed haec singularitas utique agnoscenda est, ut eam agnoverunt etiam scholiastae, qui hanc famam Euripideam vulgatae opposcentes secundum eam Ino recte interpretantur iam patrata duorum infantium (nomina de suo addunt idque vix recte) eandem in mare sese proiecisse. Aeschyli nullam habuerunt rationem, quem tamen si accurate inspiciamus ab Euripide minime dissentire videbimus, immo ei adiunctum vulgatam famam contra se habere. Licet enim illud μὲν premere; quod quae sequebatur δὲ particula haud dubie ad alterius infantis fata pertinebat. Licet etiam vocem οἰκείος; videtur infelix mater alterum extra domum occidisse. At priori in lebetem dico proiecto, Melicertae nomen fuisse constans est fama; de Learcho puerorum maiore secundo actum esse loco parum est credibile, immo parti furenti victima reservabatur. Sequitur etiam tertio secundum hanc famam locum fuisse, sive haec fuit Euryclea, quam Menecrates Tyrius et ipsam Athamanti ex Ino filiam assignat sive plane oblitterata est eius memoria. Ut ut est, id nobis maximi est momenti, quod etiam Euripidi, Medae infanticidium hanc Ino anteuripideam occupavisse, duabus tamen in rebus ab ea diversam, quod et furens hoc facinus admisit et voluntaria admissum morte luit.

Hunc autem furorem ex Iunonis ira contraxisse dicitur; et hic demum necessarium evadit hoc zelotypiae caelestis motivum, quod a priore fama alienum fuisse videmus. Irata autem ei est, quod Iovis ex paelice Thebana filium nutriendum susceperat; ita *Athamantis* actio apte cum *Semele* coniungitur, quam primam fuisse trilogiae fabulam supra coniecimus. Vides quam bene haec sese invicem confirment; scilicet hic quoque testimoniorum convergentia argumentamur, de qua in *Andromacha* mea plenius egi (*Eus* huius vol. XXXI p. 35 sq.). Quaerat quispiam, num etiam in *Iaculatricibus*, quae fabula trilogiae fuisse videtur media, Iunonis aliquae fuerint partes; nescimus; hoc enim simpliciter confitendum est. In Cithaerone tamen venationi indulgens Actaeon a suis ipse canibus dilaceratus est propter impiam in cervo occiso iactantiam¹⁾;

¹⁾ Cf. Eur. *Bacch.* 337 sqq. et *Eus* nostrae XXIX 1926, p. 1 sqq.

num etiam Athamas in Cithaerone cervi fallaci imagine deceptus est? Ut ut est, Cithaeronis domina erat Ino — Ἥρα Κιθαίρωνία — eiusdem Cithaeronis, qui etiam Baccharum ululatus personabat sub trieteridum tempus; dignumque fuit pietate Aeschylea Inonis Cithaeroniae cultu instituendo et numinum simultati et trium sororum tragoediis finem imponere — idque eo magis, quod hac ipsa dea favente Graecorum exercitus barbarorum copias ad Plataeas devicit.

III

Et de Bacchi quidem nutrice hactenus: pergimus ad Inonem novercam, quae secunda erat heroidos nostrae species.

Eius fata repraesentaverunt, ut in solis παρατρομένοις acquiescamus, Sophocles *Athamante* altero, quem *Furentem* dixerim, et Euripides *Phrixo*; nam Sophocleum *Phrixum* propter fgm. 655 cum Ribbeckio satyricum potius fuisse drama crediderim in Colchidem praeterea scaena translata, ut Inus nullae esse potuerint partes, alterius autem *Athamantis* — *Coronatum* appellare licet — cuius argumentum nobis Aristophanis ad *Nub.* 258 scholion servavit, a Nephelēs ultione initium cepisse videtur rursus exclusa Inus persona¹⁾. Iam cum probabile sit nobilissima quaeque in traditione vestigia reliquisse, vix a recto itinere aberrabimus, si cyclographorum testimonia inter has duas fabulas — Sophoclis dico *Athamantem Furentem* et Euripidis *Phrixum* — dispertiemur. Et Sophocleae quidem fabulae aetas ignoratur; cum tamen Euripidea propter trimetri structuram severiori poetae stilo assignanda sit, ne de praecessione quidem certi quidquam statuere licet.

Athamas igitur Boeotiae secundum Apollodorum (I 80) rex duobus ex Nephelē auctus est liberis, Phrixo mari et Helle femina; idem postea Ino Cadmi filiam in matrimonium duxit, quae res praepostera proverbio materiam dedit: *ne mortalem post deam*. Ino autem cum et ipsa duos peperisset de privi-

¹⁾ *Coronati* actio optime secundum hoc scholion restituitur nec quicquam video causae, cur id Robertus (*Heldens.* p. 48 n. 2) *wüstes Konglomerat* appellet. Verum hae notae sunt criseos Robertianae deliciae traditionis documenta ad suum arbitrium discerpentis, ut domo allatae opinioni satisfiat.

gnorum exitio cogitare coepit. Et hucusque communem habemus eamque vulgatam famam; abhinc autem diversitas incipit.

Secundum eam enim, quam nobis Aristophanis scholiasta servavit quamque ipso testante *Coronato* assignare debemus, Nephelē viri infidelitate exacerbata Boeotiam reliquit, quo factum est, ut sterilitate terra plecteretur — prorsus probabiliter id quidem, quoniam amota nube etiam imbres deficere debebant. Magis tamen haec ratio ad meteorologiam quam ad tragoediam excogitata esse videbatur: cum enim Athamas Delphos misisset, qui oraculum consulerent, Ino legatis persuasit, ut corrupto vaticinio non cessaturam referrent deorum iram, nisi Phrixus eis immolaretur. Ita Nephelēs zelotypia ipsius filio paene fatalis extitit; qui ne revera matris severitatem sua morte lueret, altera opus fuit eiusdem Nephelēs vindicta — aureo scilicet ariete. Verum haec in illa tragoedia breviter tantum in prologo tractari poterant; peculiare de his rebus drama cum scriberet poeta, *Furem* dico *Athamantem* — sive praeceunte rivali — aliter multumque feliciter rem ita instituit, ut et sterilitatis et vitiati oraculi effectricem eandem novercam induceret. Ceterum duplex est huius quoque ideae forma. Secundum enim Apollodorum et Hyginum (*fab. 2*) Ino cum ex longinquo privignis interitum strueret, mulieribus persuasit, ut triticum torrerent; illae igitur cum acceptum (a quo?) clam viris ita persuasissent, terra tostis seminibus consita nullas fruges edidit; sterilitas inde et theoria Delphica. Nec tamen satis intellegitur, cur mulieres insano iusso obtemperaverint, aut quomodo hoc omnes clam viris facere poterint, aut denique quomodo tantae mulierum turbae communicata res per hoc tantum temporis secreta remanserit. Multo ad fidem pronius alter poeta ipsam Ino frumentum torruisse prodidit; prorsus enim est credibile colonos ex horreis seminis causa grana accipere. Et haec altera fama iure ab hominibus huic priori praelata est, siquidem vel Ovidio (*Fast. II 628*):

quae ruricolis semina tosta dedit

paradigmatically pro noverca est. — Ut ut est, legatis eadem regina praecipit, ut falsum Delphis oraculum referant, secundum quod Phrixo pro hostia expiatoria immolando deorum ira placari debeat. „Haec cum audiisset Athamas“, pergit Apollo-

dorus, „a civibus quoque coactus arae admovit Phrixum“, quem extemplo Nephelē una cum sorore arietis miraculose ope servavit. Tum servatorum fata persequitur relicto Athamante eiusque uxore, ut quomodo haec duplicis perfidiae poenam luerit, incertum remaneat; nam quod infra 84 ad eos revertitur Inus puerorum interitum narraturus, non illam tragoediam ad finem perducit, sed novam incipit, ut novum inductum motivum — Iunonis ira furor Athamanti iniectus — satis superque demonstrat. Truncatam igitur habemus apud Apollodorum Inus novercae tragoediam.

Exitus eius qualis esse debuerit minime est obscurum; poetica enim iustitia postulat, ut patefiant Inus insidiae, nec tamen ante Nephelidarum decessum, quoniam hic decessus, totius Argonautarum fabulae condicio, patefactus iam locum habere non poterat. Fuerit hic ergo Sophocleae fabulae exitus, de qua cum nihil proditum sit, liberum nobis est optima quaeque suspicari. Euripides tamen aliam eamque vel maxime memorandam viam ingressus esse videtur. Et primum quidem haec Hyginus (*fab. 2*): *quod cum Athamas se facturum abnuisset* — ne filium scilicet mactandum daret — *Phrixus ultro ac libens pollicetur se unum civitatem aerumna liberaturum*. Nonne hic purum putum agnoscimus Euripidem? Confer enim similia. Apud Aeschylum Macaria sortitione coacta iugulum pro fratrum salute praebet — apud Euripidem ultro sprete sorte voluntariam mortem oppetit (cf. *Tragodumenon* meorum p. 91); apud Sophoclem Polyxena horrendam mactationem timide deprecatur — apud Euripidem sprete deprecatione voluntariam se hostiam offert (*ibd.* p. 93); apud Aeschylum Sophoclemque Iphigenia invita pro classis salute immolatur — Euripides eam primus ultro libentemque hanc viam eligentem inducit (*ibd.* p. 276); apud Sophoclem Creon Thebanorum imperator filium suum Megareum pro patriae salute mactandum offert — apud Euripidem abnuente patre generosus iuvenis ipse morti sese devovet, quod exemplum proxime nostrum in *Phrixo* accedit. Quibus collatis quis non cupide concedet etiam hunc magnanimum Phixi ardorem Euripideae deberi inventioni? Faventibus praesertim fragmentis aliquot, quorum 821 et 833 cum locos exhibeant etiam apud illas voluntarias occurrentes hostias, ex Phixi oratione desumpta esse videntur. — Sed

vide Pindari scholiastae (*Pyth.* IV 288) testimonium: τούτην (novercam) Φερεκίδης (fgm. 98 Iac.) Θεμιστώ (dixit), ὅς καί φησι τῶν καρπῶν φθειρομένων ἐκ ταύτομάτου (Φρίξον) ἐθελούσιον δοῦναι ἑαυτὸν εἰς σφαγὴν. Mitto novercae nomen, de quo postea nobis erit agendum; id quod summum est, voluntariam Phruxi mortem, vides iam a Pherecyde esse occupatum, vel potius ab illo epico sive lyrico poeta, quem Pherecydes excerpsit. Quid de hac re statuendum dicemus? Errasse scholiastam? an corrupta esse eius verba et pro σφαγὴν exempli causa φυγὴν scribendum? Non audeo ad remedium recurrere, quod ipse in Roberto alisque identidem reprehendi. Immo factum ut tale agnoscere placet idque unum monere, *Phrixum*, stili superioris tragœdii, facile non solum *Hecuba*, sed etiam *Heraclidis* antiquiorem esse potuisse¹⁾ neque quidquam obstare, quominus Euripidem hoc voluntariae mortis motivum ab illo poeta Pherecydeo mutuatum in *Phrixo*, postmodo suo Marte in alias tragœdias transtulisse putemus.

Non frangit haec iuvenis magnanimitas novercae contumaciam; at debuit frangere eorum patientiam, qui hucusque collaborando scelus eius adiuverant — aut igitur eorum, qui seminum tostorum, aut qui oraculi vitiati conscii fuerant, aut denique utrorumque. Alterutrum sufficebat; ad persuadendum tamen efficacior erat alterius cum altero coniunctio. Et Hyginus quidem ita pergit: *itaque cum ad aram cum infulis esset adductus, et pater Iovem comprecari vellet, satellites* — satellitem autem eum appellaverat, quem ab Athamante Delphos missum dixerat — *miseriordia adolescentis Inus Athamanti consilium patefecit*. De ancilla seminum tostorum conscia Hyginus nihil, aliquam tamen etiam de ea fuisse famam Stephanus Byzantius s. v. Ἄλος testis est. Nec potuit melius ancillarum in Leucotheae sacris expulsio explicari; sed hoc perinde est. Hygino si fides est, *rex facinore cognito uxorem suam Ino et filium eius Melicertem Phrixo dedit necandos*. Innocentem puerum reae esse additum miramur, nec minus nullum alium inventum esse eius carnificem nisi fratrem; sed hoc abbre-

¹⁾ De *Phruxi* aetate cf. *Tragod.* p. 233. Robertus sane *ibid.* ultimae eam vitae Euripidis periodo assignat, argumenta tamen neque profert ulla neque si maxime vellet proferre posset.

viatoris potuit esse vitium. Iustitiae tamen adhuc satisfactum esse videtur.

Sed vide quid sequatur. *Quos cum ad supplicium, inquit, duceret, Liber pater ei caliginem iniecit et Ino suam nutricem eripuit.* Et hic tragoediae videtur finis fuisse; nam quod praeterea Hyginus addit — *Athamas postea ab Inone insania obiecta* etc. — ea vel *postea* illud aliunde ascita esse arguit. Estne hic finis tragicae Euripidis consuetudini conveniens? Immo ut qui maxime. Non aliter enim in *Oreste* Helenae et Hermiones supplicium Apollinis interventu irritum fit caligine etiam hic aliquatenus vindicibus obiecta. Ad vetus igitur artificium poeta in hoc senili dramate revertitur, mutato tamen, id quod maximi est momenti, ethico eius sensu. Hic enim, in *Oreste* dico, insontium dira calamitas divina providentia vitatur, vindicis etiam poena ad iustum modum redacta; illic contra duplicis perfidiae convicta privignorum exitio inhians noverca debitae poenae subtrahitur nullam aliam ob causam quam quod olim divini alumni nutrix fuerat. Non est igitur cur de antitheistica quam dixi tragoediae conceptione dubitemus, quali poeta ab anno fere 430 ad 413 indulserat, a *Bellerophonte* ad *Electram*. Non respiciunt dei fas aut nefas; utroque neglecto secundum suum ipsorum studium vel iram hominum facta regunt¹⁾.

¹⁾ Sciens praetereo diversam penitus famam, qua Ino noverca novercae Phaedrae adiungitur, quoniam nulli eam poetae tragico assignare possum. Secundum eam enim Ino Phrixi privigni amore correpta, cum nullis eum blanditiis ad incestum pellicere potuisset, calumniis, quasi suum pudorem matronalem attractasset, patri invisum reddidit. Hanc famam Pindaro notam fuisse *Pyth.* IV 162 demonstrat; neque multo dissimilis fuit ea, quam ex ignoto auctore Hyginus *Astr.* II 20 excerpserit, nisi quod ibi pro uxore Athamantis fratris eius Crethae uxor inducitur. Plura colligimus hac fama Pindarica cum Plutarchi loco supra allato (p. 128 n. 1) comparata, ubi ancillas Leucotheae sacris procul habendas ita explicat: Ἡ γὰρ Ἰνώ ζήλοστυχίασα δούλην ἐπὶ τῷ ἀνδρὶ λέγεται περὶ τὸν οὖν ἐμμανῆσαι. Non igitur ultro infami amore exarsit noverca, sed maritum propter ancillae paelicatum ulcisci voluit; quod motivum licet secundarium etiam a Sophocle in fabulam *Hippolyteam* inductum est, ut ex Ovid. *Her.* IV 111 colligere licet; in 'vanam famam' (cf. *Tragod.* p. 105 sqq.) abiit apud Euripidem *Hipp.* 151 sqq. Scire vellemus, an haec fabulae Inoae cum Leucotheae mysteriis coniunctio — nam in sequentibus Plutarchus ad sacra Chaeronensia provocat — a scriptore Chaeronensi an a poeta Thebano profecta esset; utut est, debuit eam alio loco — fortasse in hymno aliquo Chaeronensibus dicato — fusius tractare, ut Pind. *Pyth.* IV 162 simplici allusione acquiescere posset.

IV

Pervenimus tandem ad tertiam Inus personam, quam Horatio praeceunte flebilem dixeram. Hanc vero totam esse Euripideam vel inde suspicari poteramus, quod nobili illo versu cum Medea consociatur; ad certitudinem perducitur suspicio ambobus Aristophanis locis comparatis, *Ach.* 434 dico, ubi in tragica Euripidis officina inter aliorum regum lacinias etiam miserabiles Inus panni iacere dicuntur, et *Vesp.* 1412:

Καὶ σὺ δὴ μοι, Χαιρέφων,
 γυναῖκί κλητέων ἔοικας θαψίνῃ
 Ἴνοι κρεμαμένη πρὸς ποδῶν Εὐριπίδου,

qui versus sine ulla necessitate sollicitos habuerunt interpretes, cum extra dubitationem positum sit ipsum Chaerephontem cum *Inone thapsina* comparari, eam autem ipsam, sive potius eius personam dici supra pedes Euripidis cubantis et tragoediam scribentis pendere. Nobis vero hoc unum epitheton *Inus thapsinae* sufficit, quippe quod Horatiano optime conveniat.

Ipsius autem tragoediae argumentum nobis idem Hyginus *fab.* IV servavit rara benevolentia etiam hoc ipso indice usus, scilicet ut *Ino Euripidis* argumento superscriberet. Prorsus incredibilis visa est viris doctis haec fortunae indulgentia; itaque certatim fidem auctori denegarunt nulla videlicet alia causa permoti — neque enim ulla afferri poterat — nisi nimis nobiscum bene ut ageretur fore, si revera fabulae servatum esset deperditae argumentum. Verumtamen feliciter praeteriisse credo illam infaustam hypercriticismi aetatem, cum talia serio tractanda esse videbantur; itaque omissis nugis ipsum argumentum inspiciamus.

Athamas, inquit, *in Thessalia rex, cum Inonem uxorem, ex qua duo filios <habebat>, perisse putaret, duxit nymphae¹⁾ filiam Themistonem uxorem; ex ea geminos filios procreavit. Postea rescit Inonem in Parnasso esse, qua<m> bacchationis causa eo pervenisse, misitque qui eam adducerent, quam inventam celavit. Rescit Themisto eam inventam esse, sed quae esset nesciebat. Coepit velle filios eius necare; rei consciam, quam*

¹⁾ Hic corruptum latere patris nomen, Hypsei scilicet, iam alii videntur; nec tamen defuerunt, qui traditam lectionem defenderent, quamvis nulla, si quid video, analogia fultam.

captivam esse credebat, ipsam Inonem sumpsit et ei dixit, ut filios suos candidis vestimentis operiret, Inonis filios nigris. Ino suos candidis, Themistonis pullis operuit; tunc Themisto decepta suos filios occidit. Id ubi rescit, ipsa se necavit. Athamas autem in venatione per insaniam Learchum maiorem filium suum interfecit; et Ino cum minore filio Melicerte in mare se deiecit et dea est facta.

Et omnium quidem primum notandum est nullam in hoc excerpto Nepheles eiusve liberorum mentionem fieri, quod casui assignare nequaquam licet. Inepta enim esset et potius comoediam redolens haec matrimoniorum congeries, ut idem scilicet vir a Nephele relictus Inonem, tum ab ea quoque capessita fuga tertiam duceret Themistonem uxorem; tum si novercalia placebat exhibere odia, alterutrum sufficiebat, aut Ino Nepheles liberis, aut ipsius Inus infensa Themisto. Invicem sese excludunt haec duo paria, idque plane eodem modo, atque Medea in tragoedia cognomini geniale Hypsipyles coniugium, in *Hypsipyles* rursus tragoedia, ut nuper edocti sumus, Hypsipyle uxor Medeam excludit. Dabat haec res non mediocre negotium cyclographis, quibus repugnantes mythorum partes quoquo modo conciliandae erant; non admodum eam curabant poetae¹⁾.

Inus tamen et decessum et reditum ante fabulae initium locum habuisse consentaneum est²⁾; incipiente actione Themistonem regio ornatu incedere, Inonem vero thapsino faciei colore, pannis semilaceris indutam inter humillimas eius ancillas videmus. Humilem sane, eandem tamen et mentis acumine et

¹⁾ Hoc ideo moneo, quod e. g. Robertus (*ibid.*) *Inus* fragmento 399, de quo infra accuratius agendum erit, Inus in Nepheles liberos scelera respici putat, quo commento non solum aliena asciscendo fabulae cursum vitiat, sed etiam, ut continuo apparebit, ethicum eius sensum pervertit.

²⁾ Hic vero nostro iure nimiam Hygini breviter arguere possumus. Sacrorum dicit Bacchicorum causa Inonem in Parnassum venisse; quando amabo et unde? Abiit regina, non revertitur; periisse creditur, aliam ducit rex, duos ex ea liberos suscipit — et tum demum pristinam uxorem in Parnasso versari comperit. An per aliquot continuas trieterides? Sed ubi per longa intervalla vixisse putanda est, quave de causa domum non revertisse? Aliquo modo hoc poetam explicasse puto, velut, quod simplicissimum est, a latronibus raptam barbarae dominae imperium tulisse. Non dico hoc optime cum breviloquentia Hyginiana conciliari posse; immo aenigmata nobis ab excerptore inextricabilia proponi.

certa fidei specie reginae commendatam; hoc et ex Hygini argumento colligimus et ex fgm. 410 apparet:

τοιάνδε χρὴ γυναικὶ προσπολεῖν εἶν,
ἥτις τὸ μὲν δίκαιον οὐ σιγήσεται,
τὰ δ' αἰσχρὰ μισεῖ καὶ κατ' ὀφθαλμοῦς ἔρει —

qui versus vel a rege simulatam ancillam ad uxorem ducente, vel ab ipsa regina pronuntiari poterant. Ad idem colloquium pertinere videntur fgm. 413, Plutarcho teste ab ipsa Inone pronuntiatum, et 412. Nec fuit ingrata reginae haec novae ancillae commendatio; cuius fidem ut experiri vellet, hoc ipsum, quod de priore coniuge audierat, recens praeter opinionem reperta et alicubi sese in urbe occultante, occasionem praestabat. Iamdudum enim timorem sibi inicere privignorum speciem et animos, quibus *nobilitas multam spem inspiret se quandoque regnatos esse* (fgm. 404); nunc vero, ubi *alto sopore sepultum Inus matris infortunium post longum tempus expergefiat* (fgm. 398), quid non ausuros, ubi matrem in pristinum amoris locum receptam adiutricem invenerint? Id ipsum igitur praecavendum esse, priusquam incurabile fiat malum. Et exponit ei consilium suum, cuius ipsam et consciam et aliquatenus perfectricem velit. Uno enim in cubiculo ambo regionum puerorum paria dormire; proinde ubi nox advenerit, maiores pullis, minores candidis stragulis operiat, cetera ipsius solertiae relictura¹⁾. Adnuit nefando consilio Ino, quod haud scio an ipsa reginae insurraverit, egregiam rata se nactam esse opportunitatem sceleris ne manu quidem admota perpetrandi.

In hac enim re ethicus, ut ita dicam, totius negotii cardo versatur: sitne scelus illud, quod quis per alium castam servans suam ipse manum commiserit? Neque nunc primum hanc sibi quaestionem proposuit poeta; immo ab ipso initio ingenium eius exercuit. Similem enim in *Peliadibus* induxerat Medeam, quae ipsa quoque inimicum suum Peliam non sua occidit manu, sed occidendum curavit filiarum credula abusa pietate; rea illa quidem facta, sed populi iudicio, non suo. Nunc post annos fere quindecim instauratur quaestio; videbimus quo eventu.

¹⁾ Paramythii hoc motivum popularis ex Aedonis fabula in nostram esse translatum iam alii viderunt, cf. Robert p. 49 n. 4.

Audire mihi videor canticum dochmiacum trepidae expectationis plenum, quod hoc duarum reginarum colloquium secutum esse debet; eo enim pervenit res, ut Themistoni Inus astutia deceptae sui occidendi essent filii. Trepidantibus supervenit Ino: recte se omnia habent, candidis vestibibus maiores, pullis minores operuit. Haec ultima tamen sibi et nobis confitetur, dominae id unum, recte se omnia habere. Intrat cubiculum Themisto, patrat caedes, triplex pro duplici: cognito enim errore suo ipsa cruore exanima filiorum corpora respergit. Facile hoc ex vocibus intus emissis coniecit spectator; planius fit et plenius ex angeli narratione — nutricis puto, in cuius locum nova concesserat familiaris. Triumphat Ino; nunc enim deposita simulatione et reginae et uxoris et matris iura recuperare potest. . .

Et vellem quidem cum solo nobis peccatricis animo — scio quid dicam — agendum esset. Sed tragoedia, Euripidea praesertim, hoc loco agonem flagitat. Defendendum est Inoni scelus commissum; defendendum — accusante quo? Poterat poeta Athamantis persona uti; poterat etiam Hypsei soceri, quem nullo negotio sub quovis praetexto arcessere poterat, ut Menelaum in *Andromacha* vel Tyndareum in *Oreste*. Mallem tamen Athamantem: id scilicet lucratus est reducta pristina uxore, ut eius beneficio duobus filiis orbaretur! Defendit sese rea: nil sceleris admisit pia manus, omnia fecit illa, quae se iam ipsa condemnavit. Properet proinde in integrum pristinam, nunc vero solam restituere uxorem.

Discedunt turbati ambo. Sol interea oritur; properat Athamas, ut debitis sacris procurandis castam puramque reddat suorum caede pollutam domum, a qua caerimonia procul abesse debuit ea, quae caedis erat instigatrix. Dum igitur res divinae intus procurantur, sola cum choro remanet. Et hic eius confessionem audimus (fgm. 483):

φίλοι γυναῖκες, πῶς ἂν ἐξ ἀρχῆς δόμους
 Ἄθάμαντος οἰκήσαιμι, τῶν πεπραγμένων
 δράσασα μηδέν;

Multorum hercle damnorum pretium accipimus hos versus gratique sumus Plutarcho, quod eos nobis servavit, gratiores, quod diserte addidit a paenitente eos Inone in theatro esse pronuntiatos. Nam quod Euripidis nomen non addidit, facile

hanc lacunam resarcire possumus secundum ea, quae supra disputata sunt; eoque facilius, quod eidem paenitentiae debiti versus fragmenti 403¹⁾:

τίς ἄρα μήτηρ ἢ πατήρ κανὸν μέγα
βροτοῖς ἔφουσε τὴν δυσώνυμον φθόνον;
ποῦ καὶ ποτ' οἰκεῖ σώματος λαχῶν μέρος,
ἐν χερσὶν ἢ σπλάγχνοις ἢ παρ' ὄμματα
ἔσθ' ἤμιν; ὡς ἦν μόχθος ἰατροῖς μέγας
τομαῖς ἀφαιρεῖν ἢ ποτοῖσι φαρμάκοις
πασῶν μεγίστην τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων,

diserte ut Euripidis ex *Inone* afferuntur. Zelotypiam arguit causam sibi fuisse, quod occisis privignis rivalem matrem superocciderit; nam quod aliena manu, id nunc paenitentia correpta perinde esse intellegit. Et ita nobis intimus tragodiae sensus aperitur; nec iniuria eam tragodiam paenitentiae dixerimus.

V

Paenitentiae vis qualis secundum antiquorum et doctrinam et sentimentum fuerit parum inquisitum esse video; quid quod apud Leopoldum Schmidt, cui copiosissimam neque adhuc exsuperatam eius materiae tractationem debemus, ne vocem quidem paenitentiae invenimus? Minime igitur mirum est opinionem extitisse, secundum quam haec vera, in sentimentum contritione posita paenitentia christianae deberetur doctrinae morali, cum antiquorum μεταμέλεια sive μετάνοια in sola iudicii mutatione constitisset. Tales effectus tulit pessima haec consuetudo oculis solis, non animo antiquorum scripta legendi.

Re enim vera primum paenitentiae exemplum iam apud Homerum invenimus cum Pandari et sceleri et poena coniun-

¹⁾ Huius fragmenti a Stobaeo servati 3 et 4 laudantur etiam a Satyro in Euripidis vita (Oxy. Pap. IV 39, col. XVII); ante v. 3 lacunam statuit P. Maas (*Berl. phil. Woch.* 1912, p. 1077), qui idem etiam Luciani *Tragodopodagrum* 7 conferri iubet. Φθόνον de zelotypia accipi fabula cogit; atque ita hanc vocem usurpavit Bacchylides XVI 31 φθόνος ἐδρυβίας νιν ἀπόλεσεν de Deianira, quam — aliter atque Sophocles et secundum antiquiorem famam — propter Ioles paelicatum invidiae stimulis vexatam induxit (cf. *Eus* nostrae XXV p. 61). Φθόνου nomen etiam Amori ascriptum est in celebri Meleagri vasculo (S. Reinach, *Rép.* I p. 401) zelotypiam nimirum significans, qua re *Meleagro* Euripideae subitam lucem infundi *Philol.* 1901 docui.

ctum, neque inepte *Iliadis* librum IV cum initio V-ti paenitentiae tragoediam antiquissimam appellare possumus, licet ipso vocabulo non usurpato. Pandarus enim una cum ceteris solemnibus se iureiurando obligavit; idem tamen personati Laodoci delenimentis obsecutus per indutiarum securitatem perfida sagitta Menelaum vulneravit. Redintegrata inde pugna; iusto certamine vulnerat Pandarus Diomedem et occidisse se eum ratus ita Troianos adloquitur (*E* 102):

Ὅρνυσθε, Τρῳῆες μεγάθυμοι, κέντορες ἴππων,
βέβληται γὰρ ἄριστος Ἀχαιῶν, οὐδέ ἔφημι
δῆθ' ἀνοχήσεσθαι κρατερὴν βέλος, εἰ ἔτερόν με
ὤρσεν ἄναξ, Διὸς υἱός, ἀπορνόμενον Δοκίηθεν.

Haec est quasi temptatio divinae bepevolentiae; nec tamen ex sententia temptanti cedit. Vivit enim Diomedes, nec magis eum quam antea Menelaum in Orcum misit Pandari sagitta. Nulla ergo dei benevolentia in sagittarium Lycia proficiscentem. Sero hoc cognovit; sed vide quam abiecto animo Aeneae in bellum eum vocanti respondeat (*E* 180 sqq.). Nulla iam arcus fiducia; malis se eum videlicet omnibus de clavo detraxisse, cum patriam relinqueret Troiam profecturus. Utinam modo reverti contingat! Extemplo se flammis mandaturum infaustum hunc arcum, cum nullam eius expertus sit utilitatem. — Haec nonne aperto legisse animo sufficit, ut conscientiae violatae angor appareat? Nil tamen intellegit neque intellegere potest Aeneas: nescit enim se cum foedifrago colloqui. Una cum eo Diomedem aggreditur, quam periculosam communionem non multum abest quin vitae pretio solvat. Pandarum certe periurii poena consequitur: abscissa enim lingua, quae debita est lingua peccantibus poena, sub Diomedis hasta, quam Minerva rexerat, animam efflat. Non profuit ei igitur sera paenitentia, ut apte ad hunc dumtaxat casum Satanae Immermanniani in *Merlino* dictum referre possimus:

Reue macht nicht zurückewall'n die Bäche:
Sie ist die zweite, ist die grössre Schwäche —

ubi tamen tenendum est, hunc Satanam secundum poetae opinionem antiquitatis doctrinam christianae oppositam repraesentare.

Alteram paenitentiae tragoediam, adumbratam tamen et incohatam, non ad exitum perductam, Aeschyli debemus *Ag-*

memnoni. Perpetravit Clytaemnestra scelestam mariti caedem, quin etiam perpetrata gloriatur; nec tamen diu immota permansit eius contumacia. Perculit ferocem animum chori dira imprecatio, ad insatiabilem Tantalidarum daemonem antiqua iniuria expergefatum hoc quoque facinus revocantis: iam sibi non ipsa esse videtur, iam Alastorem illum suam induisse personam credit, ut vetera scelera novis cumularet. Nec tamen hoc concedit chorus, ut ad illius imperiosam voluntatem provocans suam ipsa culpam extinctam esse arbitretur. Quo criminante frustra semel et iterum recalcitrare conatur: victa et fracta nunc demum paenitentiae dat locum (1567 sqq.):

ἐς τόνδ' ἐνέβης ἔδν ἀληθεία
 χρησμὸν. ἐγὼ δ' οὖν
 ἐθέλω δαίμονι τῷ Πλεισθηνιδῶν
 ὄρκους θεμένη τάδε μὲν στέργειν
 δύσκλητὰ περ ὄνθ', ὃ δὲ λοιπόν, ἴοντ'
 ἐκ τῶνδε δόμων ἄλλην γενεάν
 τρίβειν θανάτοις ἀθρόνταισι·
 κτεάνων δὲ μέρος βαίον ἐχούσῃ
 πᾶν ἀπόχρη μοι, μανίας μελάθρων
 ἀλληλοφόνους ἀφελούσῃ.

Ait ergo se quasi foedus icere velle cum saevo Tantalidarum genio, ut ille commissis iam sceleribus contentus alio se conferat, ipsa autem, resignatis opibus et regni superbia, vel modestissima condicione se hoc quod remaneat vitae degere velle concedit, modo interneciva generis odia tandem aliquando exitum inveniant.

Hoc ergo novum est idemque perquam memorabile. Negat poeta in sola animi contritione quamvis necessaria et salubri confici paenitentiae vim: immo satisfactione opus est, restitutione eorum, quae per scelus adeptus sis, et largiore quidem mensura, non cessuro scilicet alia condicione cruento daemone, quin ex antiquis delictis novam subinde progeniem procreat. Longam huius ideae evolutionem prospicimus, interminabilia paenitentium agmina per resignationem, per aerumnas, quin etiam progrediente tempore per castigationes et voluntaria martyria amissam pacem divinam recuperare quarentium; horum omnium originem et fontem in hac animi inclinatione invenimus, cuius testes nobis in versibus supra allatis remanserunt.

Verum, ut modo dixi, acquievit poeta in adumbranda sublimi tragoedia; hi versus enim ultimi erant Clytaemnestrae ante Aegisthi adventum. Quo apparente statim evanescit bonus ille genius, qui per punctum temporis reginae animum occupaverat; Alastoris iram agnoscere pergit (1660), nec tamen adeo, ut eam voluntaria resignatione placare velit. Immo certum est ei regni maiestatem etiam in futurum retinere; haec sunt ultima eius in tragoedia verba, opimam malorum segetem etiam in futurum tempus promittentia.

Tertia paenitentiae tragoedia nostra est eaque sola, quae certo gradu ab initio ad finem procedat. Nos tamen cursum eius dimidium adhuc persecuti sumus. Exardescentem videmus paenitentiae flammam: iam maledicit infelix zelotypiae suae, quae tot malorum causa extiterit, iam infecta mavult facinora sua, ita tamen ut in pristino statu res suae remaneant, ut eodem modo atque antea Athamantis domum regere pergat. Nescit adhuc satisfactione luendum esse delictum, non imitatur Clytaemnestrae Aeschyleae consilium. Discat ergo, quod adhuc nescit, ut etiam hic effectum habeat sublime poetae antiquioris dictum, patiendo disci — πάθει μάθος.

VI

Talia secum volventem clamor ex aula interrumpit; mox terrore percussus nuntius prorumpit: regem sacris operantem subita mentis alienatione affectum esse¹⁾, tamquam in saltibus montanis venaretur leaenam se persequi putasse eamque effugisse ratum interim pro catulo praesentem filium maiorem

¹⁾ Scaenam igitur eius similem fingo, quam poeta postea in *Hercule* repetiit, nisi quod ibi furens pater uxorem cum tota prole, hic solum filium maiorem occidit. Recte, opinor; similis enim erat et hic et illic conditio, cum utrobique caedes patrata procuranda esset. Etiam cetera, quae posui, verisimilitudine commendari puto; fictam certe in aula venationem *geminque cum prole leaenam* Ovidium hinc mutuatus esse videtur. Et apte cum hac scaenae configuratione coniungitur fgm. 422: interroganti scilicet choro, nemone adfuerit, qui puero opem ferre posset, non male ab exangelo respondetur: πολλοὶ παρήσαν, ἀλλ' ἄπιστα Θεσσαλῶν. Ubi notanda coincidentia cum Hygini argumento, qui Athamantem diserte in *Thessalia regem* dixerit — non parvi hercle facienda, cum ceteri plerumque Thebas vel Orchomenum rem transferant. Concedemusne tandem genuinum esse *Ino Euripidis* indicem, quem in dubium vocantes Bursianum Mauriciumque Schmidtium immerito probavit Nauck?

occidisse, nec tamen eo minus leenam alterumve catulum quaerere. Obstupescit auditis Ino; hanc igitur illam satisfactionem fuisse! suo nimirum ipsius sanguine Themistonis puorumque manes placandos esse. Sint tamen contenti maioris filii miseranda caede, qui patris manu, ut illi matris, occiderit; arrepto minore praeceps se fugae dat.

Totus ethicus tragoediae sensus in hac una scaena positus erat, ex qua tamen nihil nobis servatum esse dolemus. Accepitne Learchi mortem Ino ut iustam commeritae noxae poenam? Poetae vice fungeremur, si hoc pro certo affirmare audeamus; licet tamen verisimilia sectantibus hoc unum asseverare, hanc praesumptionem et cum prioribus optime quadrare et ea quae sequi debebant luculentissime praeparare. Non potuit Ino, siquidem eo paenitentiae prolapsa est, ut sibi facta infecta mallet — comparetur modo cum flebili eius persona ferox invictaque factisque superbiens Medea! — non potuit, inquam, in hac horrenda talionis legis manifestatione divinam iustitiam non agnoscere neque illud non exclamare, quod postea Aristophanes in tragica comoediae suae scaena *Strepsiadem* exclamantem fecit: *πονῆρά μὲν, δίκαια δέ.*

Iam quae post fugam capessitam Inus eiusque filii itemque vesani eorum persecutoris sors fuisset, ea nisi dei ex machina ore spectatoribus innotescere non potuerunt. Is qui fuerit dubitari potest; donec tamen meliora probentur, de Baccho suspicari licebit. Is enim nimis assidue ab infelici regina cultus princeps infortunii eius causa extiterat; etiamsi igitur veteris illius *alumnatus* memoria in hac dumtaxat tragoedia, id quod nos nescimus, locum non habuit, at hic castus fatalisque cultus sufficientem causam praebebat, cur reginae in extremis eius angustiis meminisse deberet. Apparet igitur, ut populum Thessalorum et qui absente Athamante regni onus sustinebat de regum sorte edoceret. Et Athamantem quidem dira manere fata: qui lupi instar in suum ipse sanguinem saevierit, eum ipsum ad ultimam inopiam adductum luporum fore commensalem et tum demum alicubi apud barbaros vilifactae vitae inglorium exitum inventurum. Splendidae contra sorti reginam eiusque puerum reservari. Iam enim transgressam esse infortunii simulque vitae terrestres limitem supremo illo saltu, quo se filiumque in mare praecipitaverit; nunc eam, quae dira facinora dira contritione diraque calamitate luerit, placata deorum ira recupera-

tae virtutis digna accepisse praemia. Nullam iam exinde extare Ino, nullum Melicertem: deos marinos Leucotheam cum Palaemone, sublimes vinculo matrem cum filiolo coniunctam, hominum pietati commendari. Benevolo illos animo naufragis aestuantibus opem esse laturos; cuius benevolentiae memores solemnibus eos caerimoniis sacrisque mysticis esse culturos¹⁾.

Post scelus igitur paenitentia, post paenitentiam satisfactio, post satisfactionem venia impetrata maiusque praemium, quam si nunquam esset peccatum. — At haec christiana est conceptio ab antiquorum ingenio alienissima! — Quasi vero ego quidquam de meo addiderim aut eorum exemplum sim secutus, qui domo allatam opinionem quovis pacto antiquis intrudunt fontibus. Immo Inus paenitentiam Plutarchus nobis suppeditat, in qua rei summa versatur, caetera Hygino debemus; ego nihil aliud feci nisi quod externa traditionis momenta — quamquam ne haec quidem omnia externa — vinculo spirituali coniunxi, quo facto velut scintilla ex elementorum coniunctione intimus isque sublimis tragoediae sensus eluxit²⁾.

¹⁾ Infelici ut plerumque hypercriticismo Robertus p. 49 n. 5 hanc argumenti Hyginiani clausulam *einfach aus fab. 2 wiederholt* appellat neque quicquam cum fabula Euripidea commune habere; qui si diligentius attendisset, concederet in illa potius clausulam aliunde esse illatam, ut supra demonstravi (cap. III ex.). Idemque saltus marini motivum optime cum Thesalica scaena consociari cap. I ostendi.

²⁾ Fusius mihi hac commentatione demonstrandum proposui, quod breviter, ut par erat, in oratione mea gallica Bruxellis in historicorum congressu a. 1923 habita et inde sub indice *L'évolution religieuse d'Euripide* (*Revue des Etudes Grecques* 1923, reimpressa in *Iresiones meae [Eus Supplementa* vol. VIII] vol. II p. 241 sqq. impressa posueram. Anno 425 antiquiorem fuisse *Inonem* Euripideam Aristophanis in *Acharn.* 434 allusio demonstrat; et multo quidem antiquiorem fuisse trimetri ars ostendit omnes alias severitate antecellens. Iam cum celeberrimum poetae fabularum ad iuvenilem eius aetatem pertinentium non ita magnus sit numerus, haec autem celeberrima fuerit necesse sit, probabiliter eam primae eius victoriae a. 442 reportatae assignari posse censui. Quaeritur tamen, quid *Medae* v. 1282 sqq. faciendum putemus, de quibus supra cap. II egi quosque ad Aeschylus *Athamantem* referri ostendi; num credibile est Euripidem suam ipsius fabulam abdicasse, ad antiquiorem recurrisset? Immo vel maxime; semper hoc fecit poeta, ubi ad arbitrium suum aliena eaque longinqua asciscendo funditus fabulam immutasset, ut tamen inventorum non nimis tenax esset suaque ut *πάρεργον*, aliena et antiquiora ut *ἔργον* tractaret. Ita *Oedipum* et *Antigonam* in *Phoenissis*, *Andromacham* in *Oreste* abdicavit, utrobique ad classicam ut ita dicam Sophoclis famam regressus. Atqui *Inonem* suam plane de suo informaverat, Themistonis nomine solo ex traditione ascito, re ipsa ex inversa Aedonis fabula conficta. Quare optimo iure haec *Ino* nullius alius similis ab Hygino *Ino Euripidis* est dicta.